



~~917~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-59.

SIGNAT. MDCCCXIII.



Q. D. B. V.

15

DISPUTATIO PNEUMATICA
DE
NOTITIA DEI NATURALI,

Quam

In Academiâ Patriâ,

PRO LOCO

IN AMPLISSIMA FACULTATE
PHILOSOPHICA, BENEVOLE QUI EIDEM
ADSIGNATUS EST,

Publicæ Eruditorum Censuræ

Submittit

M. JOHANNES SCHVVARZIUS

Wittenbergensis, Lycei Bartphensis superioris

Hungariæ vocatus Rector,

RESPONDENTE

M. JOHANNES FRIEDERICO SCHULZIO

Jutrebocensi Saxone,

(84)

Ad d. 31. Decembr. Anno M. DC. LXVIII.

In Auditor. Major.



WITTENBERGÆ,

In Officinâ FINCELIANA exscribebat MICHAEL MEYER.



LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
MICHIGAN

PHYSICS
DEPARTMENT

SCHEVYARUS

1810





Prooemium.

TAm perversi est ratio nostra ingenii, ut, quæ per naturam eidem inscripta est de Deo noticia, satis audaciter, neget: tam depravati iudicii, ut, quæ quasi palpanda totus ostentat mundus, non advertat; vel, ut advertat, non desudet. Gratulatur sibi ignorantiam & annuit, quando tabula rasa nudaq; auditur: quasi pristinum illud divinæ imaginis jubar ita extinctum totum sit, ut ejus ne reliquæ quidem Creatorem testari queant: aut minus per omnes mundi partes certatim sese depinxerit divina majestas. Hæc certè

*Os homini sublimè dedit, cælumq; tueri
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.*

Qui tamen non nisi terram spirat, & minus contemplatur, quæ contemplanda illa ponit. Ita à naturâ hominis alienus vivit homo, ut vix pecudum vitam, nedum hominis, sub humanâ specie videatur vivere. Et licet *Deum acie humana penetrare nemo valeat*, ut loquitur Philosophorum antiquissimus *Hermes in Pamandro*, manibus contrectari tamen potest, qui ergò eum non contrectat, non ratione tantùm, sed etiam sensu caret, uti judicat *Avicenna*. Quare, istorum ut convincatur impunita nequitia, in naturalem Dei notitiam inquirere est animus: non quidem, ut ostentemus ingenium, cujus tenuitatem agnoscimus facilè, sed ut exerceamus. Ad quod dum properamus Deus conamen sospitet.

§. I.

Qvod Philosophus limites sui *objecti* non excedat, aut falceram in alienam messem immittat; si Dei *existentiam* aut *quidditatem*, prout ex natura & per naturam cognoscibiles sunt, cognoscit, probatu haud erit difficile. Ecquis enim negare audet quod naturali quodam instinctu feramur ad intellectus nostri perfectionem, ut, quæ amissimus olim miseri, resarcire aliquantisper valeamus. *Imperfectionis certè est, animum assensu ejus cognitionis destitui, quam explorata ejus veritas secum adfert*, ut ait Paulus Voëtius in *Theol. Natural. c. 2. p. 13.* Præstat omninò notitia ignorantia; illa est virtutis, hæc vitii; præstat intellectus eruditus rudi, & sentit tùm ad suam originem redire animus, quando perfectiori bono imbuitur, quod cognoscibilia sola conciliant. His autem procul dubio & Deus annumerandus, quippe qui æq; Ens ut cætera cognoscibilia cuncta. Quis principia nobiscum nata adeo conculcabit, ut eorum notitiam prorsus ejuret? quis ita sui oblitus, ut Deum obliviscendo, formam, naturam, & essentiam suam, quantum in se est, oblitteret. Quis culpat propterea platonem Aristotelem, Ciceronem, in hunc ardorem qui propenderunt, & ut ex naturali causarum serie cognoscerent causam omnium primam, sategerunt. Laudatur potius *Seneca*, qui non tantùm sapius hujusmodi stimulos expressit, verùm etiam, quoties in tales cogitationes incidit, toties sibi gratulatus est, naturæq; gratias egit, quod in hæc secretiora eum admiserit. In hanc rem ergo *Philippus Morneus* in *libr. de verit. Christ. c. 1. p. 3.* eum ex hominum consortio, propellendum esse judicat, qui nulla notitiæ Dei tangatur curâ, aut in dubium vocare illam audeat.

II. Neq; ideo confunduntur Theologia cum Philosophia, Scriptura cum naturâ, aut diversa objecta, cum modus considerandi hîc maximè sit diversus, qui diversas disciplinas ut constituat, sufficit. *Triples cognitionis divinæ liber est, ut cum B. Meisner. Phil. Sobr. p. 1. sect. 4. c. 10. qv. 1. tradit: Adrianus Steger in Moysæ Amyraldo part. 1. c. 1. scil. naturæ, creaturæ & Scripturæ.* Hæc principium Theologiæ est, & perfectiorem salvificamq; gignit Dei γνώσις; ista verò & illa naturalem notitiam sistunt, quæ infinitis parasangis à priori distat. Unde speculatur quidem Deum Philosophus,

losophus, non verò colit, ut Theologus, quippe hic, non iste illum plenè colere potest. Hujus rei gemella eaq; accurata, vide ap. laudatum Voetium p. 7.

§. 3. Multò minus univocatio in Deò, & creaturis involnitur, quando ille Philosophicè consideratur. Nihil enim prohibet, quò minus & conceptus analogus objectum disciplinæ constituere queat, ut in hanc rem consentiunt Gnostologi. Infinitum autem in respectu ad finitum respuit quidem univocum, non verò analogum.

§. 4. Evidè ergo hoc, quod salvo Theologiæ foro de notitiâ Dei naturali agere possit Philosophus, ejus considerationem, prout huic licet, suscipimus, & ne Andabatarum more pugnemus terminus notitiæ Dei naturalis evolvendus prius est. Hic, cum sit *complexus non quidem re sed voce*, ita singulæ ejus partes evolvendæ sunt.

§. 5. Et quidem hæc notitiâ non intelligitur *quiddidativa*, aliàs *comprehensiva* quæ dicitur & juxta Mendozam disp. 10. de anima Sect. 3. §. 17. Est *cognitio quoad conceptum rei proprium & essentialem ita distincta & clara, ut ejus omnia predicata essentialia quoad ultimam differentiam pateant; sed quidditatis*, aliàs *apprehensiva*, quâ quovis modo *confuse & incomplete* rei essentia, vel saltim unus atq; alter ejus conceptus essentialis patescit. Nam *comprehendere Deum, impossibile est cuicunq; intellectui creato, attingere verò mente qualitercunq;, magna est beatitudo: Illud comprehenditur, quod perfectè cognoscitur, perfectè, autem cognoscit, quod tantum cognoscitur, quantum cognoscibile est. Deus autem sicuti Ens infinitum ita infinite cognoscibilis, erit, insit Thom. part. 1. qu. 12. artic. 7. Hoc fatebatur Simonides, qui interrogatus ab Hierone Rege Siculo, quid aut qualis Deus esset? diem unum huic considerationi petiit, qui cum elapsus esset, nondum sibi liquere dixit, & biduum in eandem deliberationem postulavit. Elapso & biduo, triduum sibi poscit, & cum ab Hierone rogaretur, cur hoc faceret? respondit: *quantò magis rem considero, tantò mihi videtur obscurior.* Quemadmodum ex Cicer. l. 1. de natura Deorum refert Drexelius consideratione primâ eternitatis.*

§. 6. Nec 7^o Naturale hinc supponitur pro eo, quod opponitur artificiali, includitq; omne id, quod ad sui productionem vel existentiam non requirit industriam humanam, quo sensu homini respiratio dicitur esse naturalis. Nam ita & Brutis cum hominibus commune esset 7^o nosse Deum; sed quatenus contradistinguitur super naturali seu gratioso, juxta quem modum pro naturali habetur, quod solis naturæ viribus sine speciali Spiritus Sancti concursu efficitur, ita ut naturalis notitia nihil sit aliud, quam capacitas subjecti naturalis, secundum quam hoc Deum cognoscere valet, citra specialem Spiritus S. illuminationem.

§. 7. Hæc autem cum iterum variet quoad actum primū & secundum, ita non tam respectu hujus in præsens attenditur notitia, quam illius. Nam in actu secundo spectata i. e. quoad actualem confessionem, quod sit Deus, perrara notitia naturalis est, dum multi de facto Deum ignorant, vel potius ignorare volunt; quoad actum primum verò juxta quā homo naturaliter Deum cognoscere potest; dummodo vult, neq; per malitiam suam impeditur, nulli homini non inest.

§. 8. Minimè autem Deus, per naturam cognosci ita perfectè potest, ut essentia & existentia ejus innotescat exactè. Et licet divinorum attributorum lux ex naturæ tenebris quoad antenus resplendeat, nec tamen ita essentia divina manifestabitur tota. Quis Trinitatem personarum in divinis hoc modo scrutabitur? vere Nazianzenus orat. 2. de Theol. θεὸν ὅτι πότε μὲν ἐστὶ, ἢ ἢ φύσιν καὶ ἢ ἢ ἰστίαν, ἔδὲ τις εὐρεῖν ἂν ἴων ἀνθρώπων, ἔδὲ μὴ εὐρεῖν, quid Deus sit secundū naturā & essentiā nemo mortaliū invenit nec inveniet. Tentavit quidē id olim Origenes, d. accusatur ap. Epiphanium in ἀνακρίσεως, eò, quod ἐκ συλλογισμῶν ἀριστοτελικῶν καὶ γενοῦ ἰστικῶν Deum Patrem adstruere voluerit. Idem præsumsit Philippus Mornæus libr. de verit. relig. c. 5. p. 73. seqq. qui prolixo discursu filium Dei intellectui, Spiritum S. v. voluntati divinæ comparat, atq; sic Trinitatem probaturus, ferè hunc in modum colligit: *Vt in creaturis intellectualibus datur esse, intellectus & voluntas: ita in Deo datur (1.) esse, per quod Pater est. (2.) intellectus per quem omnia novit, disponit, regit, videl. Filius & (3.) voluntas, quā partim in se, partim in creaturas fertur divina essentia, &*
hæc

hæc Spiritus S. esse potest. Et ne hoc modo simplicitatem Dei tollat Mornæus, Philosophatur porrò ita: Sicut in anima voluntatem ab intellectu propter vicinitatem & societatem vix distingvimus, multò minus in simplicissima Dei essentia aliter non different, nisi ratione. Sed sicuti perperam is philosophatus est, nec theologice locutus, quâdo personas in divinis ratione tantum differre dixit, ita somnio hæc omnia quàm simillima sunt. Quod Keckermani l. 1. System. Theol. circa hanc rem idem statuentis sit delirium, qui Trinitatem invictè ex natura demonstrare conatus est, id satis nervosè expressit B. Meisnerus in Phil. Sobr. p. 1. Sect. 4. c. 9. qu. 2. Unde sicuti essentiam divinam per naturam indagari nequit, non tam de τὸ ἔστι, quàm de τὸ ὄτι notitiam in præsens, scrutabimur.

§. 9. Nec à priori notitia hæc hauritur, quod ita à causa ad effectum progredi soleamus, quàm nullam DEUS admittit, nisi amplecti velis eam, quâ attributum DEI unum, quod jam à posteriori demonstratum est, vicissim aliud inferre potest atque sic in modum τὸ ἄ priori demonstratur. Ita demonstrata à posteriori de Deo immutabilitate, per hanc vicissim à priori immortalitatem demonstramus. Nam si immortalitatis quædam possibilis esset causa, nihil aliud causalitatem præstaret, quàm ejus immutabilitas. A posteriori ergò, quæ comparari potest, intelligimus notitiam, quæ ab effectu ad causam colligit atque sic ex operibus divinis DEUM manifestat. Ut enim DEUS qui naturâ invisibilis est, sciri possit, opus factum est ab eo, quod opificem visibilitate suâ manifestaret, inquit Ambrosius sup. c. 1. Epist. ad Rom. Certè ad mentem Basilii in Hexaem. κόσμος τῶν ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον καὶ τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον est, ut eapropter quàm scitè creaturas pro libro suo agnosceret Antonius, ex quo DEI cognitionem hauriret.

§. 10. His positis salutamus notitiam DEI naturalem (1.) Habitum, sunt quidem, qui eam describunt per facultatem aut potentiam naturalem ut Timpl. l. 3. Met. c. 1. q. 9. & Keckerm. d. 23. Curs. Philos. q. 3. Sed sic non actu nosset homo quod sit DEUS, sed nosse tantum posset, sicuti is, qui potentiam videndi habet, non statim videt, sed saltem videre potest: vel per reminiscenciam, uti Plato in Phadr. Menon. & l. 10. de Rep. Prod. jambl. aliq. Sed hæc sententia suppo-

supponit realem animæ *πρὸς πᾶσι*, anteqvā ipsa in corpore immi-
tatur, & quod ante unionem sui cū corpore anima omnes notitias
habeat iuscriptas, oblivisci verò illarum ubi in corpus infunda-
tur, sed adultā in ætate per reminiscenciam illas rursus acquirere.
Ut taceam, quod notitia nostra à teneris statim annis nobis inhære-
at. Vel per modum specierum impressarum uti cum Scaligero ex-
erc. 120. & 307. sect. 22. Goslavius in *Adversar. ad hanc exerc. censet*,
qvæ tamen sententia insufficientibus rationibus destituitur & sic
difficultate non caret, Verum, quod hæc notitia *habitus* quidam sit
non obscure ex definitione habitus patet. Nam hic docente Sua-
rezo disp. 44. Met. sect. 1. n. 6. est *qualitas permanens & de se stabilis*
in subiecto per se primò ordinata ad operationem, primamq; operandi
facultatem adjuvans & facilitans. Eodem modo sese notitia ha-
bet. Inest tam firmiter & tenaciter infantibus pariter atq; adul-
tis; dormientibus æque ac vigilantibus ut ab iisdem per naturam,
& speculativè atheus dari non possit. Deinde per externam cre-
aturarum contemplationem magis magisq; perficitur homo, do-
nec ad suo modo perfectionem justam pervenit, uti infra consta-
bit fusiùs.

§. 11. Ne tamen quis putet, notitiam hanc omnibus co-
gnoscendi facultatibus esse communem, sed animo tantum pro-
priam, & sic aut naturali aut sensitivæ tribuendam minimè. Dici-
mus (2) eandem esse *habitus animi*, non quidem ac si omni ani-
mo sive Angelicus sive humanus ille sit, conveniat; Nam in
Angelis datur notitia DEI perfecta, qualis in homine non est; sed
quatenus solum humanum denotat, quippè in hoc, tanquam in sub-
iecto inhæsionis, inhæret notitia: circa, hunc, tanquam subje-
ctum informationis, occupatur, eandem perficiendo & facilitando
ad cognitionem sui creatoris.

§. 12. Tertiò observetur, quod *notitia DEI naturalis* non
sit *habitus simplex*, sed *aggregatus* ex duobus videlicet *habitus no-*
titie insitæ & acquisitæ. Nam has distinctos esse habitus evincit
objecti, principii, subiecti, originis, proprietatum & circumstanti-
arum diversitas. Ut exindè ita argumentari queamus: Q. *habitus*
differunt ratione originis, principii &c. illi quo ad naturam sunt di-
versi, nec unum habitum per se constituere possunt. Atqui habitus
notitie insitæ & acquisitæ sunt tales. E.

§. 13. *Causas*

§. 13. *Causas, si quis desiderat, tam internas, quam externas, videl. materiam, formam, efficientem & finem, easdem nunc explicabimus. Efficiens autem, & quidem remota, Deus est, quippe, qui intellectum implantando & notitiam hanc implantavit; non quidem quia imperfecta & languida est, à summè enim perfecto imperfectum promanare nequit, sed, quia est perfectio & ornamentum nostræ mentis. Propinqua, & quidem ut quod, est totus homo; ut quo verò, & iterum remota est anima rationalis, proxima verò ejus facultas intellectiva i. intellectus est; nec tamen quia hic notitiæ hujus subjectum est, & ipsa non nisi in illo esse potest; sed quia intellectus notitiam producit. Actione enim immanenti intellectus agit, qui notitiam tanquam suum effectum, per vim sibi à naturâ concessam, elicit, & elicitam in se recipit.*

§. 14. *Materia, quæ hic analogica est, vel ex qua, vel circa quam, vel in quâ esse potest. Illam absolvunt principia nobiscum nata, & discursus ex contemplatione rerum creatarum ortus. Principia iterum variant, suntq; alia universalis, alia particularis. Ex illis remotè ex his proximè numen divinū probatur. Universalis iterum vel theoretica, inter quæ eminent hoc, impossibile est, idem simul esse, vel non esse, per quod esse DEUM probari potest h. m. Datur absolutè necessarium E. dabitur aliquid, quod non potest non fuisse, & per consequens Deus est. v. B. Scharff. in Pnevm. l. 2. c. 2. p. 51. Prius non tantum per laudatum principium, quin etiam ex oppositione necessarii conditionati constat, ita: Si datur quoddam quod in ratione Entitatis suæ variari potest, datur quoque principium quod variet illud cunctaque variabilia, ipsum v. non varietur aut variari possit, aliàs si & hoc variaretur ab alio variabitur, de quo iterum disquirendum esset, an variabile sit, an minus, atq; sic dabitur progressus in infinitum, qui in rebus necessariis absolutè impossibilis est. Undè tam diu in necessitatis ordine progreditur intellectus, donec ad summè necessarium, quod nisi unicum esse potest, sc. Deus, deveniat. Porro ex principio universalis practico hoc: bonum unicè appetendum est; malum v. fugiendum, non tantum pro-*
B
currit

currit intellectus ad bonum per participationem, sed etiam ad id, quod per essentiam tale est. Atque sic simpliciter appetendum, quod est DEUS, sed cum de his operose agere hic nostri instituti ratio non admittat, eadem omnia jam mittimus & ad alia properamus.

§. 15. *Principia universalis excipiunt particularia*, ex quibus proximè DEUM esse probatur, quæ rursus vel *theoretica*, vel *practica* sunt. Hæc, quia non tam existentiam, quam Dei cultum, bonitatem aut excellentiam summam palmariò indignant, quæ est hoc: *DEUM colito*: Ita pluribus eadem persequi non ex re esse putamus. Illorum v. hoc unicum sufficiat: est *Numen aliquod, quod nutu suo omnia moderatur*. Principium hoc nobis institum esse, non tantum testatur scriptura, prout id ipsum demonstrant Theologi, verum etiam natura.

§. 16. Ostendit v. DEUM in naturâ. (1) *Lex naturalis*. Hæc, quod detur, alibi disputatur. Nam certum est, quod per solam naturam de cultu DEI, ejusque veneratione, leges dictarint gentes, cum aliundè easdem haurire non poterant. Lex ergò naturæ cum cognitionem & DEI cultum complectatur, oportet sanè natura hominibus inesse notitiæ aliquid de Deo, & quidem per modum *habitus*. Præsertim quia notitiæ illæ communes sunt, ex parte etiam antesyllogisticum rationis usum. *Deindè* lex arguit legislatorem, & cum illa inscripta sit, à quopiam quod inscripta sit, necessum est. Quemadm. artificem, artificium infert, ita lex naturæ arguit DEUM. Undè argumentamur ita: Si *honestatis reliquæ atque legis naturalis principia hominum mentibus ita sunt indita, ut eradicari nullo modo possint, sequitur, Numen aliquod esse, quod illam implantavit: Atqui verum est prius*. Eg. Majoris connexio ex ante dictis patet. Minorem probat spontaneum honestatis studium, sine ullâ externâ admonitione, hortatione, præceptis, quod etiam in gentibus reperimus.

§. 17. (2.) *Stimuli Conscientiæ*. Hæc hilarem reddit animum in rebus bene gestis: dejicit rursus eundem in rebus male factis. Videmus

mus

mus hoc in hominibus extremæ impietatis, & ab omni humanitate remotis; Cum nullus est, qui illorum scelera vindicat, Vindictam tamen metuunt. Hinc omnia tuta, ut minus tuta, timent: ad arundinis motum expavescunt; ad propriam umbram trepidant, & perpetuâ formidine vexantur. Quippè animus rationem factorum perpendit, quasi eam iudici nunc esset redditurus, & pœnas ab hoc timidus expectat. Verè de hac re Cicero: *Magnam vim habet in utraq; partem Conscientia, ut semper pœnam ante oculos putent, qui peccaverint, & nihil timeant, qui nihil admiserint. Cunctis, inquit, Menander, hominibus DEus est Conscientia.* Experimur hoc in Regibus ac Principibus, qui ob malè facta per conscientiaë stimulos, veluti per furias enecati miserè sunt. Ita Nero, cum Præceptorem Senecam, & Matrem suam Octaviam, crudelissimè tulisset, postea externa matris specie in obitum usq; excruciatum est. Caligula, utut extremè atheus esset, ad tonitrua tamen obvolvebat, quantum poterat caput, hocq; pacto tacitè innuebat, esse aliquod Numen, à quo hæc oriantur, quodq; habeat potestatem flagitia puniendi, uti refert Svetonius in Calig.

§. 18.(3.) *Communes Ethnicorum sententia*, qui DEum esse aperte sunt professi, & vita, & cultu, id quod Πολυθεὸς τῆς ipsorum satis probat, neq; tamen hanc ex rationis errore, sed ex lapsu imperiti vulgi, ornabant. Is enim, cum invisibilem DEum nec videre, nec sine fide dum erat, amplecti posset, ad rerum visibilium naturam prolapsus est, & sculpsit Idola multiplici figurâ, quæ intueri oculis, quæq; amplecti brachiis posset. Hæc omnia autem non commisissent, si rectæ rationis dictamen attendissent. Id quod vel ex Platonis sententia liquet, *Qui Epist. 13. ad Dionys. Tyrann. Syracus.* ita: *seriæ epistolæ initium est DEus; non seriæ Dii.* Adde huic Aristotelem libr. 10. *Metaph. cap. 1.* *Qui ex principio isto; Quicquid est, eò ipso, dum est, unum est,* ita ratiocinatur. *Quocirca id, quod aliis rebus dedit, ut unaquæq; una sit, illud maximè unum est.* Observa Orpheum, hic, quando ex sententia sua non vulgi locutus est, disertè dixit εἷς ἐς' αὐτογονῆς, ἐνός ἐκγονοῦ πάντα ἴσθητα: *Unus ab æterno est rerum sator, omnia ab uno orta.* Neq; hoc tantum asseruerunt, quin notitiam Dei nobis per natura-

B 2

ram

ram inscriptam esse, ingenuè sunt testati. Ita *Arist. lib. 1. de celo. c. 3.* Omnes homines de Diis existimationem habent. *2. Lucio. Ballb9. ap. Cic. lib. 2. de Nat. Deor.* quatuor argumenta recenset, quibus probare laborat, quod *Deorum notiones in animis hominum sint informata.* Huc facit, quod *Brachmannes* apud Indos, & apud Perlas *Magi à Dei nomine omnia inchoarint*, quod *Poëtæ antiquissimi*, qui *Philosophiam versibus tradiderunt*, ut *Orpheus, Homerus, Hesiodus, Theognis &c.* ab *Jove libenter suum principium sumant*; quod *Stoa, Academia & Lyceum Dei nomine*, numineq; auspicia sua ducant. *Sed hæc de Principiis.*

§. 19. Nunc ad *discursum*, per quem innotescit *divina Majestas*, in quantum per principia, velut per fundamenta applicata ad creaturas in rerum accuratiori contemplatione is existit. Hæc autem applicatio legitime fiat, necessum est. Communiter *Dionysio*, & ex eo *Scholastici*, quibus & nos assentimur, *triplicem modum s. viam Deum naturaliter cognoscendi perficiunt, causalitatis, negationis & eminentiæ.* Illa est, quando *intuendo creaturas, ut effectus sunt, ad illam causam ascendo, quæ omnium summa, nulliusq; effectus rationem in se recipit.* & quas *perfectiones in creaturis reperio, eas causæ isti quodq; tribuo*, ex hoc fundamento, quod nihil sit in effectu, quod non antea vel formaliter vel virtualiter fuerit in causis. *Ista est, quando nos cogitando, Deum esse, & per Deum intelligi ens perfectissimum, removemus id omne ab eo, quod in creaturis imperfectum est.* Hæc via ferme amplissima est. Nam *facilius cognoscimus quid Deus non sit, quam quid sit, inquit Augustinus in Ps. 76.* Non autem putandum est, ac si via negationis pura putanegatio sit, nihilq; affirmativi subsit. Nam, quando de Deo negamus *non posse aut esse compositum, insimul aliquid positivi insinuamus, videl. divinam essentiam permanentem, stabilem & fixam, independentem & simplicem &c.* Vid. *Armandus de bello Visu tr. 3. de termin. c. 2.* Hæc est, quando cogitamus, Deo nihil esse excellentius, vel perfectius, ei omnes *creaturarum perfectiones tribuimus, sed purificatas ab adjunctis illis imperfectionibus.* Ita perfectio in creaturis est intellectio, quam Deo non citra rem adscribimus, sed non per *compositionem aut divisionem*, non per *discursum* qui Deo repugnat; sed per *simplicem intuitionem*; adeoq; tribuimus Deo omnem quidem perfectionem, verum eminentissimè.

§. 20. His

20. His ergo probe observatis nascitur discursus [1] ex effectu ad causam collectione, ubi ex intuitu mundi, Deum tanquam illius causam, verè arguimus. Enim verò progredimur ab imis ad summa, ab universis ad singula; omnia nos gradatim deducunt & promovent ad aliquem summum, ut nihil sit tam exiguum, quod magnitudinem Dei non presentet; nihil tam excelsum, quod ad erudiendum in Dei cognitione non descendat. Omne quod fit, ab alio fit, cum nihil sui ipsius causa positiva esse possit, alias enim idem simul esset, & non esset; esset in quantum sibi ipsi esse communicaret; non esset, in quantum esse acciperet. Nam res qua fit, per effectum esse accipit, uti concludit Franc. Suarez. in syllab. Met. disp. quæ cum annotatis Revii sunt, 29. p. 250. Illud aliud autem, à quo aliquid fit, vel habet esse à se, vel iterum ab alio, i. e. vel factum, vel non factum est. Si hoc, rursus erit ab alio, & ita tam diu discursus urgendus esset, usq; dum perveniremus ad aliquod ens non factum, quod non esset ab alio, sed à seipso, idq; negativè, uti solus Deus. Nam argumentamur nos cum Voërio Theol. Nat. c. 3. p. 33, 34. ita. Quicquid est Ens improductum, illud omnino est infinitum, independens, atq; sic verus Deus. Atqui, quod non est ab alio, sed à se ipso negativè, illud est Ens improductum. E. Quod argumentum est tantalucis, ut ea propter ita Lactantius exclamavit lib. 1. divin. inst. c. 2. Nemo est tam rudis, tam feris moribus, quin oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat, cuius Dei providentia regatur, hoc omne quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, temperatione. nec possit fieri, quin id, quod mirabiliratione constat, consilio majeri aliquo sit instructum. Quid potest esse tam apertum, dicitur Cicero lib. 2. de nat. Deorum, tamq; perspicuum, cum cælum suspexerimus, cælestiaq; contemplati sumus quæ esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? Quod qui dubitat, haud sane intelligo, cur non idem sol sit, an nullus sit dubitare possit. Quid enim est hoc, illò evidentius?

§. 21. (2) Ex actuali effectu producendi productione. Quicquid est in potentia, illud præsupponit actum alterius, per quod potestas in actum deducatur; alias non exiret ex potentiâ ad actum:

Aut: Si quidem potentia non est aliud, quam possibilitas actus, neq; in actum deduci potest ab eo, quod ipsum non est potestate. Quare si potentia deducatur ad actum, necesse est, ut aliquis actus purus antecedit, quoniam non exeat aliunde, unde actuetur. Atqui talis actus est Ens necessarium, perpetuum & immutabile. Unde colligimus ita: *Quicquid est actus purissimus, illud est necessarium &c. & per consequens Deus. Atqui, quod nullam potestatem implicat, est actus purissimus E.*

§. 22. (3) *Ex graduali rerum perfectione.* In rebus invenitur majus & minus, nobile & ignobile, magis minusve præstans, bonum, interim non datur progressus in infinitum. Erit E. ad aliquod primum deveniendū, quod sit omnium maximum, nobilissimum atq; præstantissimum, quod nil nisi Deus esse potest. vid. *Blas. Diss. 9. de attrib. div. q. 3. §. 5.* Nam *quicquid absolute perfectum est, i. e. omnes gradus bonitatis & perfectionis excedit, illud omnino Deus est. Atqui datur quoddam ens, quod ita sese habet E.*

§. 23. (4) *Ex causarum subordinatione.* Impossibile est totam collectionem entium & omnes causas efficientes esse dependentes & superiores. E. dabitur aliqua causa absolute independens & suprema, quæ à nullâ aliâ in esse, fieri & operari dependeat, & inferior, quæ dependet. Quare non hæc, sed illa quamlibet actionem suscipit, cum quâ inferior concurrit; aliâ ad actionem pervenire non potest, nisi à causa superiori inchoetur actio, quia illa ab hæc dependet. Et impossibile est, inferiorem causam inchoare aliquam actionem, sine influxu eius, à quâ tamen inferior dependet. In hoc E. causarum ordine pervenitur tandem ad supremam, à quâ primò & perse inchoetur actio, secus impossibilis esset omnis effectio. Undè ita concluditur: *Quicquid nulli alii cause subordinatum est, sed quisquid agit, primò agit, illud est Deus. Atqui quoddam Ens, vel quoddam causa ita se habet. E.*

§. 24. (5) *Ex totius mundi & ejus ordinis conservatione.* Apparet in mūdo subordinatio, quâ unum alteri intervitt; apparet proportio, singulis quâ de mensura tuum est præscriptum, atq; ita

ita usq; conservatur institutum istud, ut adhuc nihil quicquam
immutatum sit: Cernimus cœlum; cernimus motum stellarum
æqualem & perpetuum: Vestitur adhuc quotannis tellus her-
bis, stirpibus, frugibus: nascuntur & denascuntur in horas ani-
malia, eaq; varietate, ut eorum quot sint species, penetrare ne-
queat homo; nec tamen nova creatur, nec ulla interit. Num
hæc cuncta fiant casu, an verò sapientia divina, cui ovis fa-
cilè est judicare. Videatur: *Mornanius loc. cit. p. 2. 3. seqq.* Nos se-
quens institutum ratiocinium: *A quocunq; mundus totus in esse
suo conservatur & dirigitur illud omnino Deus est. Atqui ab aliquo
Ente conservatur & dirigitur in suo esse E.*

§. 25. Tandem, ut plura complectamur paucis, (6.) *ex pec-
catorum punitione*, prout hanc agnovit *Plinius hist. nat. 7. c. 3.*
quando ait: *in his Deos agere curam rerum humanarum, credi ex usis
vite est.* (7.) *ex miraculorum apud Ethnicos patratiōe*, v. g. quan-
do igni adimitur vis urendi: quando terræ motus oriuntur super-
naturales, aut obscuratiōes insolitæ & (8.) *ex Rerum publicarum
fatali mutatione* divina Majestas dilucidè satis elucescit, quæ athe-
um, nisi extremæ sit malitiæ, commovere facilè poterunt. Atq;
ita consideravimus Θεογονίαν naturalis materiam ex qua.

§. 26. *Materia circa quam*, est ipse Deus, & omnia, quæ per
naturam nobis innotescunt, ut sunt (1.) τὸ *esse Dei absolutum*. neq;
enim *respectivam* natura tradit. *Non considerat Personarum Tri-
nitatem* in divinis, quia hæc nec à priori, nec à posteriori demonstra-
ri potest. *Non illud*, quia sic nec Dei existentia probari potest. *Nec
hoc*, quia quicquid hoc modo de Deo nobis innotescit, illud ex e-
jus operibus & creaturis colligimus. *Nulla autem datur creatu-
ra*, in qua ejusmodi mysterium exactè expressum est. *Ejus equidem
similia extare concedimus*, sed hæc non tam demonstrant, quam
illustrant. *Quamobrem gentilis mysterii hujus planè ignarus*, ad
Trinitatis agnitionem ex istis similitudinibus certò deduci nō po-
test. *Ubi prius doctrinam Ecclesiæ imbiberimus*, similia quoq;
deinde accommodare possumus. *Verùm citra fidem nunquam il-
lis assentiremur* [2.] τὸ *operari*, non quidem quatenus implicat *actus
Personales*, sed *essentiales*, nec *hos*, quoad *intrâ*, sed *extrâ* tales,
quales sunt *creatio, conservatio*. *Unde Character hypostaticus,
mysterium*

myfterium incarnationis, & alia hujus generis ad naturæ magifterium non pertinent.

§. 27. *Materia in qua est subjectum, cui inhæret Θεογνωσία.* Accidens est, habitus est, Ergo in subjecto sit. Hoc a. est vel denominationis, & quidem nunc remotum, ut homo; nunc proximum, ut anima rationalis: vel informationis, quod intellectus hominis.

§. 28. *Causam materialem formalem sequitur, quæ est intellectus nostri perfectio, ad res divinas cognoscibiles cognoscendas.* Quemadmodum enim omnis habitus, quatenus propriè talis est, suum subjectum perficit, nam faciliat id ad novam formam acquirendam, ut quicquid plures formas acquirat, plures quoque accipiat perfectiones; quia omnis forma, quatenus talis, perfectio est: ita etiam Θεογνωσία naturalis perficit intellectum nunc intensivè, ut cognoscat Deum esse; nunc extensivè, ut in cognitione ista non acquiescat, sed in Dei quidditatem magis magisque inquirat, donec penetret ad eam, quæ salutifera est, & non nisi ex scripturis hauritur.

§. 29. Unde citra difficultatem de *causa finali* judicari poterit, quæ illa sit, sc. duplex, *altera primaria*, videl. quod notitia hæc calcem addat ad ulterius in Numen summum inquirendum; *altera secundaria*, quod externam disciplinam conservet. Nam cum per illam decalogus innotescat, utique quid faciendum, quidve omitterendum sit, manifestat quoque. Quibus ita observatis, patet satis luculenter, quod Θεογνωσία naturalis definiri possit hoc modo: quod sit *habitus animi aggregatus, quo quis per principia sibi insita & discursum ex accurata contemplatione rerum creaturarum ortum, redditur aptus ad cognoscendum Deum, in quantum hic ex natura cognoscibilis est.*

§. 30. *Dividitur hæc notitia ex conditione Principiorum in insitam & acquisitam.* *Insita*, aliàs *subjectiva* dicta, est *latens quoddam divinitatis semen, cujusvis hominis animo per naturam ab utero materno insculpta atque impressa.* Et licet in infantibus vel pueris id nondum germinet, sed ad tempus maneat reconditum, simul ac tamen adultus quis factus est, ut ratiocinari possit, in actum se vindicat & actualem Dei notitiam conciliat. Non aliter atque homo, quando eam ad ætatem proventus est, ubi ratione valet, in semet experitur, honestum amplectendum & inhonestum fugiendum

endum esse. Communiter autem hac ita describitur : *Quod habitus primorum principiorum de Deo, intellectui per naturam sensus operâ impressus, eandemq; perficiens & aptum reddens ad actualiter Deum cognoscendum.* Acquisita vero, quâ vel ex contemplatione operum & effectuum videl. (1.) ex creatione. [2.] rerum creatarum ordine & pulchritudine [3.] conservatione & gubernatione [4.] miraculorum exhibitione [5.] poenarum immissione [6.] rerum futurarum prædictione [8.] periodicâ Rerum publicarum mutatione & deniq; [9] ex causarum efficientium serie; vel ex humanâ fide (prout docet Klozius loc. cit. disp. 4. §. 31. p. 158.) quâ parentum doctrinâ à pueritiâ omnes discunt, Deum nobis docet. Communiter a. definitur ita: quod sit *Habitus accuratâ rerum creatarum contemplatione, vi discursus naturalis, comparatus, ut per eum aliquo modo Deus cognoscatur*

§. 31. Minimè autem confundendi habitus isti sunt, sed distinguendi à se invicem, ut diversi, id quod urget *diversitas* [1.] *principii seu originis.* Utraq; notitia quidem à Deo hominibus per creationem implantata est, & quidem *insita immediate intellectui*, cujus lumen nativum immediata causa efficiens illius est; *acquisita vero mediatè seu per creaturarum intuitum*: illa est *habitus innatus, hæc acquisitus.* Et licet per lapsum vel totâ amissæ fuerint, reliquæ tamen, eaq; exiguæ, super mansere (2.) *subjecti.* Nam *notitia insita secundam mentis operationem inhabitat*, quia ex *νοῦς ἐννοίας* s. principiis nobiscum natis citra discursum & sine magno labore, sed sponte fluit, ut nec simplicissimis hæc deneganda sint hominibus; *acquisita v. in tertia datur operatione mentis & vi naturalis* *ἀπό νοῦς* ex contemplatione operum & effectuum Dei ejus existentiam & essentiam colligit, & in infantibus aut mente captis non datur. (3) *Objecti.* Etenim *per insitam inquirimus* in Dei unitatem, bonitatem, justitiam & cultum; per acquisitam verò innotescit nobis (α) Dei creatio (β) rerum creatarum conservatio & gubernatio [γ] peccatorum punitio (δ) miraculorum exhibitio (ε) rerum futurarum prædictio (ζ) periodica Imperiorum mutatio, sicut prolixè docet *Johannes Gerhardus in Loc. Theol. Tom. 1. c. 3. p. 193. & 194.* (4.) *proprietas.* *Insita est certior acquisita notitiâ, non quidem ratione sui, sed respectu subjectorū seu hominum.* Quo enim quid magis intimius naturæ inhæret, eò facilius eidem assentimur, quàm illis, quæ ex observationibus tantum constant. Tandem (5) *temporis.* Nascitur nobiscum *notitia insita*

C

insita



*infitā, non sic verò acquisita, quæ annos demum adultos & ratio-
nis usum sequitur. Ex quibus pro nostra sententia nobis tale
argumentum nascitur: Quic. habitus differunt ratione originis,
Principii, subjecti &c. illi quo ad naturam sunt diversi, nec per se u-
num habitum constituere possunt. Atqui habitus notitiæ acquisitæ
& infitæ sunt tales. E.*

S. 32. Hactenus naturam & divisionem Θεογνωσίας natu-
ralis consideravimus, restat, ut paucis tangamus ejus affectiones,
quarum (1) est veritas. Vera E. Θεογνωσία est, non quæ: admix-
tam habet imperfectionem, videl. rationis corruptionem, aut Procli-
vitatem ad varios errores: Hic enim usus ab abusu; abstractum à
concreto discernendum est; sed quæ. ut donum Dei spectatur &
perfectio intellectus est. Nam (α) verum habet objectum, [ε] ve-
ram formam, (γ) veram efficientem, verumq; (δ) finem, ut id pro-
pter impudentissimè errarint Flacius Illyr. in Clavi Script: sub vo-
ce legis coll. 562. qui notitiā infitam, & Dan. Hoffmannus Prof.
quondam Helmstad. qui omnem de Deo notitiā naturalem fal-
sam, & cū Theologia pugnare contendunt. [2] Necesitas: Necessa-
ria est, non quidem ratione Theologia, quæ sine illa conclusio-
nes suas de Deo demonstrare sufficienter potest; tamen ratione sui,
quæ. cognoscibile quid est, & circa cognoscibile, videlicet De-
um, versatur. Et quia notitiā, quæ infita vel acquisita est,
non æq; in omnibus datur, sc. non in infantibus aut mente ca-
ptis &c. etiam non æqualis circa utramq; est necesitas,
cum acquisita abesse possit; infita v. minimè. Nec est, quod hæc
per omnipotentiam Dei ab hoc vel illo subjecto tolli possit, ut-
que proinde adeò absurdum non sit, dari atheum directū (quem
admodum hoc negat Gilbertus Voët. disp. select. parte. 1. p. 143.) in re
pugnet hoc juri divino, quod homo Deo non sit sublex, nullaq;
habeat conscientiam. (3) Utilitas. Præstat n. notia (1) usum E-
lencticum ad convincendos atheos, existentiam Numinis præ-
fractè negantes, dum ex natura (Scripturâ n. non admittunt) per
Principia, quæ ipsi negare nequeunt, manifestissimè demonstra-
tur, quod sit Deus. (2) Pædagogicum. Decalogum inculcat Θεογνω-
σία, & mores vel format, vel Deum colendum jubet, quem admo-
dum hoc ex cultu gentilium, qui Deastros suos colebant, patet.
Nam hi proculdubio non aliunde, quàm ex notitiâ Dei natura-
li originē duxit (4) Imperfectio. Imperfecta dicitur non absolute &
in se spectata, quasi per eam atheum convincere non possumus,
cum

cum contrarium supra probaverimus; sed comparatè, in respectu ad notitiam Dei revelatam, quæ quantopere naturalem antecel-
lat, ex Scriptura patet. Langvidiorem præbet illa assensum &
horrendis dubitationibus sæpe excutitur, uti exemplum Antonii
apud Cicer. lib. 1. Tuscul. probat. Videat. Chemnit. part. 1. LL. Com.
Loc. 1. c. 1. q. 3. Quare peccant, qui existentiam Dei non nisi ad Phi-
losophiam referunt, nec eandem Theologæ concedunt; Pec-
cant, qui per notitiam naturalem salutem nos consequi posse
autumant, prout id fufius deducit & quidem Theologicè, Ma-
gnif. Dn. D. Calovius, l. cit. Theor. 4.

§. 33. Quemadmodum nihil tam manifestum est, quin inve-
niantur, qui id negent, ita hæc *θεογνωσία* non à paucis in dubium
vocatur, quorum malitiam circa hanc rem communi nomine
atheismum appellamus, & quidem ab *αθεϊσμός* & vocabulo *θεός*
qui talem habitum denotat, quo quis Deum esse vel extitisse ne-
gat. Nec hunc intelligimus *directum*, juxta quem in homine ita
*abolita est notitia naturalis de Deo, ut etiam in conscientia sua ne-
get Deum.* Ejusmodi enim atheismus à parte naturæ est impossibi-
lis. Dico à parte naturæ. Nam, sicut natura non potest producere
hominem non risibilem, ita nec hominem directè *αθεός* producere
poterit. Sed quod Deus talem hominem creare possit, illud non
negamus. Nulla enim hîc est terminorum repugnantia, extingui
notitiam naturalem, uti alias censet Voëtius loc. supra cit. p. 163.
Et quamvis tales athei, ut *Julius Cæsar, Vaninus, Caligula* &c. qui
in totum negarunt, esse Deum, subinde fuisse videantur. Quin &
Rabbi Moses, prout eundem *D. Klozius in Theol. nat. disp. 3. c. 1. §. 3. p.*
71. Petrus de Aliaco in lib. sent. q. 3. Henricus Gandavensis art. 3. q. 2.
Deum non ex naturâ, sed ex sola Scriptura patescere asseruerunt;
fuit tamen tantum negatio oris, non verò cordis. Addimus &
hoc, diabolum ad tempus interiori scientiæ & consciëntiæ hominis
persuadere posse, non esse hominem, in totum verò notitiam hanc
tollî posse, negamus. Actus videl. tunc saltem abest, non vero ha-
bitus. A negatione verò illius ad negationem hujus, non valet
consequentia.

§. 34. Ergo intelligimus *indirectum*, quem dari non nega-
mus, quemadmodum oppidò ejus causæ illum inferunt. Ita [1.] datur
ejus *efficiens*, & quidem vel *προκαταγενής* seu externa, videl. dia-
bolus, hominibus persuadens nullitatem existentiae divinæ; ut eos
in omnem omnium vitiorum abyssum præcipites reddat, vel *περ-
νηγμένη*, quæ est ipsa facultas hominis ad mala proclivis (2.) *Ma-
teria*

teria, nimirum principia prima, quæ si negat præfractè verbis, aut dubitat de iisdem in animo, vocatur tunc in specie atheus *speculativus* seu *Theoreticus*, quemadmodum huc referri potest *Flacius Illyricus part. 1. Clavis. Scr. Wendelinus lib. 1. Theol. Christ. c. 1. §. 2.* qui notitiam quidem acquisitam de Deo concedebant; insitam v. negabant, & non pauci ex gentilibus, quorum nonnullos adducit *Stevogtius in dissert. Acad. II. Tb. 7. seqq.* sin v. ipsa neget factis, practicus erit, quales fuerunt Nero &c. (2) *forma*, quæ consistit in *Ignorantia non pura negationis, sed prave dispositionis* i. e. in activitate intellectus & malitia voluntatis contra principia rectæ rationis. Ubi voluntas omne rectæ rationis dictamen excutit, is peccata præceptis ruit, ut & intellectus tandem consentire cogatur, licet is semper aliud suadet. Hinc solenne illud *Medæ*:

Video meliora, probōq; deteriora sequor,

Mox velut concitato cursu grassatur homo in peccatis, nec Deū esse, nec ejus providentiam dari apertè affirmans. Talis non movetur miraculis, non curat adhortationes aut minas: ægrè ista omnia fert & vindicare satagit, & sic impunitè per omnia scelera vivit. Non aliter atq; homines deceptores & fabulatores assiduitate mentienditalem acquirunt dispositionem, ut se vera dicere opinentur, etiam dum quàm maximè mentiuntur. Quamvis ejusmodi vita saltem tamdiu duret, quamdiu soporata conscientia est, & ad tempus *ἄθεος* iste nullum divinitatis sensum habet. Vid. *Paulus Voët. loc. cit. p. 16.* Tandem datur etiam (4) *hujus monstri finis*, qui duplex esse potest, *alter intentionis*, secundum quem liberiùs vivere intendit *ἄθεος*, atq; sine ullo metu aut formidine scelus quodvis committere; *alter executionis* ut proximo damnum inferat & pro lubitu in alios impunè grassari queat.

§. 3. Subnecti deniq; hic posset atheismi distinctio v. g. *in totalem*, quâ quis negat in totum esse DEUM, partim contra notitiam insitam, quam inficiatur prorsus; partim contra notitiam acquisitam, quam negligit, nec ut acquirat incumbit; & *partiale*, quotantum unum atq; alterum attributum negatur v. g. Si quis Deo omniscientiâ, vel omnipotentiam velit detractam. Verùm cum ista intellectu facilia, quin aliquantisper jam explicata, ad finem properamus, & divino Numini pro benignâ sui revelatione decantamus laudes & gratiarum actiones in seculum!

Ung. VI 59

ULB Halle 3
004 186 672



f

56.

VD 77.

Jun. 2000 M.







15

Q. D. B. V.
DISPUTATIO PNEUMATICA
DE
NOTITIA DEI NATURALI,

Quam
In Academia Patriâ,
PRO LOCO

IN AMPLISSIMA FACULTATE
PHILOSOPHICA, BENEVOLE QUIEDEM
ADSIGNATUS EST,

Publicæ Eruditorum Censuræ
Submittit

M. JOHANNES SCHVVARZIUS


Wittenbergensis, Lycei Bartphensis superioris
Hungariæ vocatus Rector,
RESPONDENTE

M. JOHANNES FRIEDERICO SCHULZIO

Jutrebocensi Saxone,

Ad d. 31. Decembr. Anno M. DC. LXVIII.
In Auditor. Major.

(84)



WITTENBERGÆ,
In Officinâ FINCELIANA exscribebat MICHAEL MEYER.

